



Sammlbd

Aufn. Jl

13<sup>t</sup> Alk. 13 Ergen.

I. N. SS. 7.

DISSERTATIO THEOLOGICA  
<sup>DE</sup>  
**LIBRIS DEI,**

QVAM  
 Ope Divinâ  
 IN ILLUSTRI SALANA,  
 SUB PRAESIDIO  
 VIRI

*Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*  
**DN.JO.ERNESTI GERHARDI,**

SS. Theol. Doct. & Professoris Publ. Celeberrimi,  
 nec non Venerandæ Facultatis Theologicæ h. t.  
 Decani spectatissimi.

Dòmini Patroni, Præceptoris & Fautoris sui omni  
 obseruantiae & honoris cultû extatem  
 devenerandi.

*Publico Eruditorum Examini submittit*

**M.IOH.SEBASTIAN PRÆTORIUS,**  
 Gôdâ Misn. Alum. Electoral.

A. & R.

IN AUDITORIO THEOLOGICO  
 ad diem Maji.

---

IENÆ,

Typis Joh. Jacob. Bauhofferi,  
 Anno 1664.

ГИМНАСТИКА  
ДЛЯ ДЕТЕЙ

# LIBRARY

МУЖСКОЙ

АНАДАГИАЦИИ

ВСЕХ ВОЗРАСТ

ДЛЯ АДАПТИРУЮЩИХ СВОИСТВА

ДЛЯ ПРОФЕССИОНАЛЬНЫХ ОБРАЗОВАНИЙ

ДЛЯ ПРОФЕССИОНАЛЬНЫХ ОБРАЗОВАНИЙ

ДЛЯ АДАПТИРУЮЩИХ СВОИСТВА





I. N. SS. T.

## PROOEMIUM.

**D**E Opt. Max. in sacris divinisque literis varios tribui libros, illis, qui vel primis saltim labris sacra eloquia degustarunt, notissimum est, & satis quoque è locis Scripturæ Sacræ, deinceps à me adducendis patescit. Hoc ipsum vero metaphorice fieri, *κατ' αὐθεωτονέαν* nempè, itidem apud omnes rectè sentientes in confessō hodie est. Solet enim Scriptura Sacra, propter intellectus nostri, ut qui sublimia alijs mysteria divina satis capere non potest, imbecillitatem condescendere, ac nostris quasi moribus & ingenio sese conformare. Id quod jam pridem Adamantius docuit, quando lib. 4. contra Celsum (qui cùm morem hunc sacrarum literarum non debitè observasset, vel turpiter ignorasset, ad risum earum atq; exagitationem multūm ineptè se convertit, cuius proinde stoliditatem abundè Origenes d.l. manifestat,) p. 2. seqq. scribit: ὥσπερ οἵμεις τοῖς κομιδῆις τηπίοις Διαλεγόμενοι τῷ έαυτῷ ἀτῷ λέγειν τοχαζόμενα δυνάται, αλλ' αἴμοζομόροι τεργοτὸι αστερὲς τῶν ζώοκειμένων, Φαμὲν ταῦτα ἄλλα καὶ πονήματα καὶ φαύεται ήμιν χρησίμα εἰς τὴν τῶν τοιδῶν εἰς τοιδῶν ὑπηρεσίην. Οὐτως ἔακεν ὁ τῷ θεῷ λόγος ὀκονομηκέναι τὰ ἀναγεγραμμάτα, μετρήσας τῇ δυνάμει τῶν ακρότων καὶ τῷ τεργοτῷ διτὸς χρησίμω. Quæ Gelenius ita Latinâ donavit civitate: *Sicut nos cum pueris parvulis agentes accommodamus verba ad eorum sensum, quantum possumus, & pueros pueriliter educamus, erudimusq; ut putamus eis conveniens: ita videtur divina sapientia contextuisse Scripturas ad auditorum modulum, id sibi decorum existimans, quod illis sit utile.* Et postquam hoc ipsum ex

A

diæd

dicto Mosis Deut. 31. (Accommodavit se tuis moribus Domini  
nus Deus tuus, ut si quis homo se accommodat filio suo.) confirmasset, subjicit: οἰονεὶ αὐτῷ τὰς τρίτας ταῖς τὸ αὐτῷ ποιεῖται λεγότελες Φορῶν ὁ λόγος τοιαῦτα λέγει. ἡ μὲν ἐδέοντο οἱ πολλαὶ ταῦτα ποιεῖν τοὺς θεοὺς αἴροντας εἰσῆλθον τὰς ταῖς τοιάσδε λεχθησόμενα, i. e. ceu idem Gelenius vertit: Moribus hominis accommodatè loquitur Scriptura Sacra ad utilitatem hominum. Non enim erat in rem plebejae multitudinis, si Dei persona induceretur loquens pro maiestate sua. Idemque docet Procopius, in cap. 3. Esai. scribens: Αὐτῷ ποιεῖται διατάξις αὐτῷ ποιεῖται ηγεώφησις. Homines cum simus (nec divina, utpote supra captum nostrum posita, adsequi satis, alias queamus,) humano more Scriptura loquitur. Unde nata Gregorii Nazianzeni Episcopi regula: Πολλὰ αὐτῷ ποιεῖται λέγεται, αλλὰ θεοτεῖται νοστηται. Multa humanitatis dicuntur, que divinitus intelligenda sunt. Non abludit Latinissimus ille ac Christianissimus Massiliensis Ecclesiae Presbyter Salvianus, lib. 1. de Gubern. Dei cap. 23. scribens: Pœnituit Deum, inquit Scriptura, non quod Deus sit obnoxius huic motui, aut subjaceat ulli passionis; sed sermo divinus ad insinuandam plenius nobis rerum scriptarum intelligentiam, quasi humano affectu nobiscum loquens, sub nomine pœnitentis Dei, vim demonstravit irati. Luculentum proinde Dei, ad captum nostrum Scripturæ Sacrae verba contemperantis, cum in eò quoque deprehendatur exemplum, quando Deo vel scriptio vel libritribuuntur, neque tamen satis pateat, quatenus ac quibus identiter modis, quidque per libros Deo tributos ubique intelligatur, operæ pretium facturum me puto, ubi paucula in rem sanè annotavero, eademq; publicæ disquisitioni more Academicò subjecero. Faxit supremus rerum omnium Arbitrator ac Moderator, quod omnia cedant FELICITER!

## CAPUT I.

Expendit, unde Metaphora sit desumpta, quando  
Deo libri tribuuntur.

Quan-

Quandoquidem, cùm in Scriptura Sacra libri Deo addi-  
gnantur, non propriè id fiat, sed nāt' ἀπόπεταγμα, ὅmo-  
iouίας & συνατάξιος, exponendum utique ante omnia  
est, in quo metaphoræ Fundamentum consistat, ac quæ il-  
lius ratio sit. Dubium verò nullum est, desumptam esse me-  
taphoram hanc à diligenti quodam Oeconomō, vel virō sa-  
picente, vel etiam Rege aut Principe, qui res memorabiles  
aut alia consignare solent, ne fortè eorum capiat ipsos obli-  
vio, sed ut in promptū ea habeant. Ita Reges Persarum An-  
nales suos habuisse, ex libri Esther cap. 2. v. 23. colligitur,  
cum primis ex cap. 6, 1. Mentio enim ibi fit Regis Ahasve-  
ri, ( quem eundem cum Xerxe, terrore illo Græciæ, sed post-  
ea ludibrio fortunæ, esse, Viri docti censem, Videatur illu-  
stris Scaliger lib. 6. de Emend. Temp. f. 283. Barthol. Meie-  
rus de LXX. Hebdom. Dan. p. 61.) quòd cùm dormire non  
potuisset, temporis fallendi causā **ספר הזיכרונות** librum me-  
moriarum, ( i. e. *Annales* ) sibi afferri jussérit. In eō verò an-  
notatas fuisse non Regum solum, sed & aliorum benè de illis  
vel regnō meritorum res gestas, itidem ex d. l. quodammodo  
liquet. Cùm igitur Deus noster adeò fidelis ac benefi-  
cusa erga genus humanum sit, ut ne poculum quidem aquæ tri-  
gidæ pauperculis exhibitum absque præmiō dimittere velit,  
Matth. 10. 42. cum primis verò in omnibus piorum calami-  
tibus ac miseriis eorundem curam gerere promiserit, in-  
de itidem Scriptura S. illi hujusmodi **ספר זיכרין** librum me-  
moriae sive memorialem tribuit, vid. Malach. 3, 16. ut ita certi  
esse possumus, minimè ipsi memoriam nostri excidisse, si vel  
maximè omni destituti anxiliō videamur. Quemadmodum  
igitur potentia Dei & auxilium, quô pios defendit, per *bra-  
chium ac manus*, Deut. 5, 15. Psalm. 118, 16. promptitudo  
in exaudiendis supplicantium precibus paterna, per *aures*,  
Psalm. 17, 1, 6. Psal. 34, 16. beneplacitum, per *nares vel odora-  
rum*, Genes. 8, 21. misericordia, per *viscera*, Luc. 1, 78. ac *cor*,  
Jer. 31, 20. ita rerum omnium, cum primis verò piorum, no-  
titia modò per *oculos*, quos nihil omnino lateat, ut Psalm. 33.

18. Psal. 34, 16. Eccles. 23, 28. modò per librum, in quô Deus omnia quasi consignare soleat, indicari in Scriptura S. soleat. Dudum hoc docuit Euthymius, in Ps. 68. ita annotans: *Liber Dei est summa ejus scientia: scriptura verò perpetua memoria.* Per libros enim variam & multiplicem Dei cognitionem divine literæ figurant & intelligunt. Sicuti proinde, cùm Deo in Scripturâ S. oculi manus, pedes, viscera, cor &c. tribuuntur, minimè à θεω πάντας, sed deo πάντας id accipendum est. ita similiiter cùm Deo liber ac scriptio tribuuntur, κατ' ἀθεωπονάστας dictum intelligendum. Quod igitur S. Augustinus l. 20. de C. D. cap. 15. de librō vitæ, in quô nomina electorum scripta dicuntur, tradit: *Non Deum, scribens, liber iste commemorat, ne oblivione fallatur: sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita.* Neque enim nescit eos Deus, & in hōc librō legit, ut sciat: sed potius ipsa ejus præscientia de illis, qua falli non potest, liber est vitæ, in quô illi sunt scripti, id est, præcogniti. Idem etiam in genere de omnibus libris metaphorice sic dictis, Deoque in Scripturâ S. tribuis, dici potest.

C A P U T   I I .  
Ostendit, quot libri in Scriptura Sacra  
Deo tribuantur.

Cœterū cùm divinæ notitiæ sive omniscientiæ ratione Deo libri tribuantur, & verò illius divinæ scientiæ objecta varia sint, nempè personalia & realia, eademque iterum non unius, sed diversi generis, mirum non est, quod licet omniscientia divina in se spectata, haud minus ac ipsa divina essentia, una ac simplicissima sit, varii ac quasi diversi Deo tribuantur libri. Ut ut verò Autores proportione diversorum divinæ notitiæ objectorum varios Dei libros recenseant, meæ tamen modestiæ sufficiet, eos solùm commemorasse libros, quorum in utriusque fœderis libris mentio fit. Minimè igitur huc quadrat eorum sententia, qui ita istos Dei libros recensent, quod videlicet sit i. Liber guberni

gubernationis, 2. Liber iudicij, 3. Liber vite, 4. Liber mortis si-  
ue condemnationis. Remotam vero etiam a praesenti nego-  
tijs volo illam librorum, Deo tributorum, acceptionem,  
qua Scriptura Sacra sive Libri Biblici, a Prophetis, Evangelisti-  
s, Apostolis alijsq; a Spiritu S. actis viris exarati, nobisque,  
ceu unica fidei ac vita nostrae norma traditi, libri Dei, ut po-  
te Dei aevus, 2. Tim. 3. 16. add. 2. Petr. 1, 21. dici solent. Sicu-  
ti etiam expresse Esai. 34, 16. Pentateuchus סֵפֶר וַיְהִי ap-  
pellatur, & in vers. Vulgatâ Ecclesiastici 12, 32. disertè co-  
dex sacer liber vite vocatur. De hoc tamen libro jam nunc  
acturus non sum. Neque enim de materialibus libris in  
praesentiarum sermo mihi erit, sed de libris Metaphoricè sic  
dictis. Unde patet, quod itid. ab instituto meo aliena sit enu-  
meratio librorum Dei, quam Amandus Polanus a Polan-  
sdorff, Theologiz quondam in Rauracorum Academiâ Pro-  
fessor lib. 2. System. Theol. cap. 35. proponit, videlicet, quod  
quatuor Dei libri sint, 1. Liber divine providentiae. 2. Liber  
Scripture. 3. Liber iudicij divini, ac 4. Liber vite. Cum vero  
scientia DEI dupliciter consideretur, primò quatenus  
versatur erga omnes homines, pios pariter ac impios, se-  
cundò, quatenus Deus pios novit, quo respectu impios nun-  
quam novisse dicitur, Matth. 7, 23. inde B. D. Rungius Com-  
ment. in cap. 32. Exodi p. 1099. monet, librum Dei duobus  
sumi & usurpari modis: primò generaliter, de Dei præscien-  
tiâ universali, qua singulos mortales novit ante condita se-  
cula, ex nomine, quotquot nimirum erant nascituri, eorum  
que dies Psal. 139, 16. quotquot singulis temporibus vivunt,  
omniaque illorum acta & afflictiones, Psal. 56, 9. & Psal. 33.  
quotquot etiam mortui sunt; addit: ideo mortui requiren-  
tur a mari, terra & inferis, Apoc. 20, 15. Hinc, pergit, Apo-  
calyps. 20 v. 11. fit mentio diversorum librorum, qui in die iudicij  
sunt aperiendi, non quod in illis actu judiciali materiales libri  
sunt ad futuri, sed partim, quia omnia, quæ nunc quasi in arca-  
no Dei iudicio & scientiâ, tanquam librō scripta, delitescunt,  
videlicet quinam homines & quod vixerint, & quæ singulo-  
rum acta fuerint, ea tum in apertam lucem proferentur, &

collata ad librum Legis & Evangelii, secundum verbum Dei  
judicabuntur. Secundò Specialiter, de Dei præscientiâ de-  
terminatè conjunctâ cum prædestinatione sive electione ho-  
minum ad vitam æternam. Quô sensu sicuti non omnes  
homines electi sunt ad vitam: ita quoque non omnes  
scripti sunt in librô Dei. De hōc librō loquitur Moses Exod.  
32. eosque, quorum nomina in eō scripta sunt, Spiritus  
Sanctus dicit scriptos esse in librō vite, Philipp. 4.3. Apoc. 20,  
15. in librō viventium, Psal. 69, 29. scriptos in cælis, Luc. 10, 20.  
Ebr. 12. 23. scriptos in vita Jerosolymæ novæ, Esai. 43. Et o-  
mnes, qui scripti sunt in librō vite certos salvari, testatur Da-  
niel cap. 12. & Apoc. 20, 15. Alli distinctius procedentes,  
tres Deo trinunt libros. Primum vocant Librum œgrotias  
sive universalis gubernationis, secundum librum apiuatos seu  
librum universalis judicii, Tertium ζωῆs sive Librum vite.  
Fortè non incommodè uti primus dicitur œgrotias sive divi-  
ne providentia, ita secundus vocari posset diuinacionias sive ju-  
sta sententia, ex Rom. 2.5. & tertius œdoxias sive immerita gra-  
tiae ac misericordie. Primus complectitur, ut italoquar,  
gubernandorum, alter judicandorum, tertius salvando-  
rum catalogum, non exclusis tamen eorundem dictis, factis  
&c, utpote secundum quæ judicium instituendum. Sed de  
singulis ordine. Esto igitur

### CAPUT III.

#### De Libro œgrotias sive divinæ PROVIDENTIÆ.

Per hunc juxta Theologos nil intelligitur aliud, quam  
universalis Dei notitia, secundum quam omnia omnium ho-  
minum membra & dies, dicta, facta & cogitata &c. cer-  
tissimè præscit, format, dirigit. Piorum quidem actio-  
nes bonas promovendo, approbando, easdemque ad  
nominis sui gloriam, æternamque illorum salutem dirigen-  
do; impiorum verò conatus ac mala opera sufflaminando,  
prohibendo, vel ita permittendo, ut tamen nominis sui glo-  
ria & Ecclesiæ commodum, licet contra Satanæ ac improbo-  
rum

rum intentionem; pere ea promoteatur. Est enim hoc prou-  
prium Dei artificium, ex pessimis hominum pravorum a-  
ctionibus salutare quid elicere, ceu ex crucifixione Christi,  
ut alia jam omittam exempla, luculenter patet. Porro de  
hoc librō loquitur Psaltes, quando hymnō LVI. 9, ait: Mi-  
grationes & lachryme meae בְּסֶפֶר תְּהִלָּה in librō tuō. Paraphra-  
sis Chaldaica non ineleganter בְּחֹשֵׁן בְּנֵךְ in rationibus  
tuis. Et Lutherus: ohne Zweifel du gehlest sie. Paulò ali-  
enius LXXII. Et hymnō CXXXIX. 16. בְּסֶפֶר in librō tuō  
scripti universi, cùm dies formarentur. Ita vertendum putat  
Zanchius lib. 5. de nat. Dei cap. 3. qv. 1, Bened. Arias Mon-  
tanus ad membra corporis refert, ita enim reddit: in librō  
tuō scripta erant, (sc. membramea, ceu proxime etiam præces-  
tit: ô Deus, informem massam meam viderunt oculi tui) que  
per dies formatas sunt. LXXII. εἰ τὸ βιβλίον εὐ τάπεις γραμμού-  
ται. Lutherus ad dies refert, qui adhuc futuri erant: Ca-  
terūm cùm, ut modò Chaldaum Paraphrasten verba Psalmi-  
stæ accipere vidimus, Deus, omnia dicta, facta ac calamita-  
tes, quas patienti animo suscipimus ac toleramus, in librum  
rationum quasi referat, quo aliquando nempè largissimè re-  
pendat, si quas adversitates in ipsius honorem sustinueri-  
mus: æquum sanè est, ut pariter tanquam boni peconomi,  
1. Petr. 4, 10. & à quibus aliquando accurata requiretur vil-  
licationis ratio, Luc. 16. Librum rationum cum Deo quasi  
habeamus, qui duabus constet partibus. In quarum pri-  
mam referamus cuncta & ingentia illa beneficia, quæ cotti-  
die à benignissimô Numine accipimus; in alteram verò deli-  
ctorum nostrorum debita, quibus proh dolor! nimis ingratia  
eundem sapienter offendimus. Hæc plutum peccatorum ad-  
ditione multiplicare caveamus, quin potius seriarum lacry-  
marum profusione ac carnis cum suis concupiscentiis mor-  
tificatione subinde aliquid subtrahere illis studeamus, juxta  
monitum Apostoli Galat. 5, 24. Coloss. 3, 5. Illa jugi me-  
moriā agnoscamus, ac devotas pro iisdem Deo grates per-  
folvamus, atque ex sincero Dei amore proximo nostro be-  
nefa-



ne faciamus, tunc in nobis quoque implebitur illud ejusdem  
Rom. 5, 10. ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia,  
De Cosmâ Mediceo, Hetruriæ Duce proditum memoriam  
est, quod cum ex familiaribus quidam eum interpellaret,  
quasi nimis liberalis in pauperes esset, responderit, se in li-  
bro initiarum cum Deo rationum dati ac accepti nunquam eò po-  
tuisse pervenire, ut quæ deberet Deo, solveret: nam quod plura  
dabat, eò plura recipiebat, semperque inveniebat se debi-  
torem, Deum verò creditorē. Et sanè ita cum Dei ratio-  
nibus comparatum est, ut bona sua gratis debitoribus non  
subtrahat, sed multiplicet, & semper novam gratiam addat.  
Vid. Matth. 13, 12. Luc. 19, 26. O suavem additionem! ô  
benignam multiplicationem! ô utinam jugiter hoc per-  
penderemus! Conf. plura huc facientia apud devotissimum  
Theologum B. D. Glassium in Exeg. Evang. Dom. 9. post  
Trinit. pag. 29. seqq. Sed dispiciendum, annon in Novi  
quoque fœderis tabulis primi illius libri, quem Providentie  
sive Universalis gubernationis vocari dixi, mentio fiat. Ita  
statuit Nicolaus de Lyra, ac alii nonnulli, & in specie quidem  
de hoc librō accipiunt visionem Johanneam, Apocalyps.  
cap. V. ubi statum initiū capit is ita scribit Theologus: *Et*  
*vidi in dextrâ sedentis super thronum biblio librum, intus & fo-*  
*ris scriptum, signatum sigillis septem.* Monent quoque sen-  
tentiae hujus Patroni, quod ad dextram librum hunc Deus  
habere dicatur, quia gubernationis ratio semper in prom-  
ptu sit, dextera enim robur significat. Quod verò liber hic  
intus & foris scriptus dicitur, eō ipso notari censem, quod res  
varias ac multiplices comprehendat; quodque nihil non  
sub Dei notitiam cadat; vel quod quædam de mirandâ mun-  
di, Ecclesiæque cum primis gubernatione cognita sint, quæ-  
dam verò adhuc lateant sive arcana sint, hæc proinde intus;  
illa foris scripta dicantur. Signatum verò librum hunc dici sta-  
tuunt, quia occulta Dei iudicia, hominis rationem trans-  
scendentia contineat; septem insuper sigillorum mentionem  
fieri, quod numerus septenarius sit perfectus, ad indicandam  
divinæ



divinæ providentiaz perfectionem & gubernationis reconditam rationem. Atque hanc expositionem quam proximè ad scopum Apostoli accedere, ac contextui satis respondere, nostrates quoque Theologi statuunt, ac pluribus probant, ceu videre est ex B. D. Höe Comment. in Apocal. L. 2. p. 140. B. D. Meisnero Ἀνθετολ. Sacrae Decad. 2. Disput. 15. quæst. 2. §. 13. B. D. Gerhardo Annot. in Apocal. pag. 37. Idemque sentiunt ex Pontificiis Franciscus Ribera, Blasius Viegas, Bened. Pererius. Corn. à Lapide &c. in h. l. Nec expositioni huic adversari putant eos, qui de ipsâ Johannis Apocalypsi librum illum intelligunt, uti Dionysius à Ricken Cathusianus, Libertus Fromondus in d. l. Siquidem, licet Apostolus verè librum aliquem viderit, manifestum ramen sit, non fuisse crassum aliquem & materialem librum, sed imaginarium, cum visio, non historia narretur. Concludunt igitur, librum, à Johanne, d. l. visum, fuisse tum imaginariam & præfiguratam σημάνυψιν, tum exemplar & speciale libri providentiaz expressionem. Minùs verò conveniens est eorum expositio, tum qui per librum illum Scripturam Sacram intelligunt, uti Origenes Serm. 12. super Exod. ac Homil. 14. super Ezech. Eusebius Cæsariensis l. IIX. Demonstr. Evang. cap. 2. Hieronymus in cap. 22. Esaiæ, Primasius, Anselmus, Ansbertus, Rupertus, Venerabilis Beda, aliique nonnulli in h. l. quos è Pontificiis seqvuntur Jesuita Sebast. Barradius lib. 1. Conc. Evang. cap. 9. Weidnerus in Locis fid. traet. 2. p. 286. è Calvinianis Marloratus, tum qui de ipso Christo accipiunt, uti Hilarius præfat. in Psalmos, Bernh. Homil. de septem signaculis in Festo Pasch. Petrus Damiani serm. de S. Lucâ Evang. ac alii quidam. Etenim licet haud invitus concedam, Scripturam S. librum rectè vocari, & quidem intuī & foris scriptum, intus quidem quoad Novum Testamentum, foris autem quoad Vetus, siquidem hoc nobis fuerit velamen, juxta Ansbertum & Bedam; vel intus scriptum respectu pœnitentiaz internaz, quæ solis piis communis est, foris autem respectu prædicationis Evange-

licet externæ, quæ impletis cum piis communis est; nec inficias  
eam, Christum quoque librum vocari posse, cuius septem  
sigilla sint præcipua ejus mysteria, sc. incarnatio, nativitas,  
passio, resurre<sup>o</sup>, adscensio, Spiritus S. missio ac denique  
secundus ad judicium adventus, recensente Hilario d.l. recte  
tamen monent Interpretes recentiores, quod explicatio-  
nes hæc nimis remotæ sunt, & accommodatitiae magis, quam  
genuinæ. Nec satis etiam loco huic convenit Andreæ Cæ-  
fariensis ac Aretæ interpretatio, qui librum hunc exponunt  
*τὸν τῷ Ἰησὶ πάντοθι ρυγὸν αἰεπίληπτον μνήμην*, quâ ratione per  
librum, de quô Johannes h.l. agit, intelligendus juxta B. D.  
**Gerhardum** Annot. in Apoc. h. l. esset liber *Vitæ*, in quô scri-  
pta sunt nomina eletorum. Verum licet electi à Providen-  
tiâ divinâ minime excludantur, satis tamen ex contextu pa-  
tet, quod non de solis electis, sed in genere de providentiæ  
divinæ operibus, vel certe de illis providentiæ decretis, qui-  
bus rectorus Ecclesiam militantem ad Antichristi usque ad-  
ventum, & deinceps ad finem usque mundi, sermo apud  
Johannem dicto loco sit. Porro circa meliorem loci Johani-  
næ intelligentiam notandum est, quod Theologus procul  
ambiguo respexerit ad morem illum Veterum, qui libros  
non ita, ceu apud nos hodiè fieri solet, paginatim com-  
pingebant, sed convolvebant, unde etiam liber apud Ebræos  
*מגלה*, i. e. *volumen à convolutione* dicitur. Licet verò u-  
sitatiù ab una saltim, interiori nempe sive concavâ chartæ  
pergamena, sive pellis ad scriptionem præparata, vel corti-  
cis parte aut superficie scribebent, quandoque tamen ab  
alterâ quoque membranæ, vel chartæ parte scribebant, si in-  
terior scil. non omnia capiebat, & tunc liber *intus* ac *foris* di-  
cebatur *scriptus*, ac talis quoque liber Johanni in visione os-  
tendebatur. Sed non est hujus loci, nec nostri instituti, pro-  
lixius de more illō scribendi veterum agere. Testantur  
de eo B. noster Gerhardus Comment. in poster. Epistolam  
Petri pag. 366. B. D. Chemnit. H. E. p. 289. Buxtorfius ac  
Schindlerus, hic in Lex. Pentag. ille in Lex Rabb. Talm.

voce



voce מַלְאָכִי, Laur. Vallalib. 6. Eleg. cap. 43. Matth. Martinus in Lexicō Etymol. voce *Liber*. Guil. Estius in Ep. Pauli p. 329. Corn. à Lapide in Epistolam ad Ebr. c. 10. v. 7. Hoc unicum adhuc addo, quod etiam Turcæ id generis libris, in cilindri modum convolutis utantur, cœn hujusmodi librum Arabicum tum in Bibliothecâ Academicâ, tum apud Excell. Dn. Pr̄esidem videre mihi contigit. Quæritur vero, quomodo Johannes hic potuerit cognoscere, librum illum, quippe convolutum, fuisse exterius & intus scriptum? Respondet Libertus Fromondus Haccurianus, Theologiz in Regia Lovan. Univers. Profesl. Comm. in Apoc. p. 94. initio quidem eum hoc non cognovisse, sed postea intellexisse, quando apertum & expansum viderit. Progressum nunc facio ad

#### CAPUT IV.

#### De Librō δικαιοεισίας sive iudiciariæ sententia.

Per librum hunc intelligo librum Universalis sive extreimi judicii. Licet vero liber hic itidem ad providentiam generalem referri soleat: notat tamen B. D. Meisnerus Ἀριθμολ. Sacr. Dec. 2. Disp. 15. qv. 2. esse hunc librum priori subordinatum, & paulo restrictionem, quia non creaturas omnes, sed tantum homines judicando attineat. Duo vero illustria utriusque fœderis loca sunt, in quibus clara libri hujus mentio fit, vid. Daniel cap. 7, 9. & Apoc. 20. v. 12. Priori loco hæc legimus: *Adspiciebam, donec throni positi sunt, & iudicium sedet, וְסִפְרֵין LXX. καὶ βιβλοι ἦν εώχθοσταν, & libri aperti sunt.* Posteriori isthac: *Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, καὶ βιβλοι ἦν εώχθοντα, & libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his, quæscripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Cur vero plurimum librorum hic mentio fiat, cum tamen notitia Dei simplicissima sit, illius rei B. Hieronymus hanc reddit causam, quod nempè duo sint hominum genera, qui coram Christo judge comparitu-

ri sint, alii namque erunt credentes, alii increduli sive impenitentes. Ut ita dico quasi extent libri, alter piorum sive in verâ fide ad finem usque vitæ perseverantium, in quô bona eorum opera annotata sint; alter impiorum sive impunitum, in quô mala hominum opera consignata extant. Atque ex his libris utrosque judicandos esse, innuitur: non quasi æque ut increduli sive mali propter mala opera damnandi, ita credentes propter bona opera salvandi sint, (id vero minimè: novimus enim, quod vita æterna sit χάρισμα τοῦ θεοῦ, donum Dei gratuitum, non operum nostrorum meritum, Rom. 6. v. ult. unde etiam notanter dicit Salvator ad vitæ æternæ candidatos: κληρονομούσατε, i. e. hereditate accipite, ut filii nempe, quibus hereditas non propter opera, sed jure filiationis obtingit, Matth. 25, 34.) sed quia bona opera fuerunt veræ fidei fructus, signa & testimonia. Unde etiam sicuti h. l. dicitur, quod mortui judicati fuerint ~~nam~~ secundum, non vero, dia propter ἔργα αὐλῶν, ita quoque alibi in Scriptura S. dicitur, quod Deus piis redditurus aliquando sit, non διὰ ἔργων, i. e. propter opera, ut ita B. O. statuantur causa vitæ æternæ meritoria, sed κατὰ τὰ ἔργα, secundum opera, Rom. 2, 6. Conf. 1. Corinth. 3, 8. ceu hac de re prolixius disserit Excellentissimus Dominus Præses in Analectis ad Matth. c. 16, 27. Aliud propterea est secundum operare reddere, aliud secundum merita operum vel propter opera reddere, uti prius notavit Gregorius M. Episc. Rom. in Psal. 7. Pœnit. Vid. etiā hac de re B. D. Gerhardus Annot. in Apoc. 20, 12. qui per libros illos intelligit 1. Librum Dei sive divina omnisciæ, Psal. 139, 15. in quô omnia annotata extant, quæ homines per totum vitæ tempus cogitarunt, dixerunt, egerunt &c. quam Dei omniscientiam sicuti nihil quidquam fugit, ita ipse omnia in judicio illô manifestabit. 2. Librum humanae conscientiæ, in quô stylo veritatis cujusque hominis cogitationes, verba & opera annotata extant. De iisdem libris accipit quoque S. Hieronymus, qui in cap. 7. Dan. Li-

bri.



ōri, scribit, aperti sunt conscientia, & opera singuloram in  
atramq; partem, vel bona vel mala omnibus revelantur. 3. Li-  
brum Scripturæ Sacrae, juxta quam iudicium instituetur, crea-  
dentes ex Evangelio absolventur & justificabuntur; increduli  
ex Evangelio condemnabuntur, Johan. 12. v. 48. Rom. 2, 16.  
Adducit pro sententiâ hâc Augustinum Serm. 17. in Apoc.  
circa medium, ita sribentem : *Libros apertos Testamenta*  
*Dei dicit, secundum enim utrumq; Testamentum judicabitur.*  
Et concludit : *Hi libri in iudicio aperiuntur, quia in die iudi-  
cii cuiusq; hominis cogitationes, sermones & actiones, utrū occul-  
tissimæ, coram Angelis & hominibus, in lucem producentur, & ex  
verbô judicabuntur, 1. Corinth. 4. v. 5.* Atque huc faciunt  
piæ veterum meditationes. Ita verò Basilius M. librō de  
verâ Virginitate : *Quæ priùs corpore quasi veste coniecta,  
minimè habere putabamur, ea nuda se omnium oculis in-  
gerent, nullusq; jam vel negationi, vel defensioni erit locus,*  
quando ipsa cernentur opera, in suo auctore conspicua. Non  
enim confusè, aut summatim & indigestè res ipsæ cernentur:  
sed singula per partes, ut sese habent, velut in piæ urâ noscen-  
tur. Similia habet Ephrem Syrus lib. de verâ poenit. c. 4. U-  
nusquisque, scribit, cernet ante faciem suam exposita opera  
sua, sive bona illa, sive mala præmisit. Formidabiles libri  
aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, &  
verba, & quæcunque egimus in hac vitâ, illisc non solùm, ve-  
rùm & cogitationes & intentiones cordis scriptæ erunt &c.  
Hugo de S. Victore lib. 3. de animâ cap. 23. in eandem rem :  
Omnibus, ait, populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cun-  
ctis agminibus patebunt universa sclera tua, non solùm  
actuum, verùm etiam cogitationum & locutionum. Multæ  
peccata tunc prouent ex improviso, quasi ex insidiis, quæ  
modò non vides. Cum primis verò apertioñem illam li-  
brorum de librō Conscientiæ accipiunt Jesuita Sebastianus  
Barradius Olesiponensis Tom. 3: Comm. in Concord. & Hist.  
Quat. Evang, lib. X. cap. 11, p 637. ac Libertus Fromondus

B 3 Haccu-  
ni



Haccurianus in Apoc. p. 301. Notandum tamen 1, quod quando inter libros illos, Scriptura quoque Sacra liber referatur, hoc minimè ita accipiendo sit, quasi Christus codicem quendam Biblicum producturus sit, & ex illo aperto sententiam dicturus, id verò haudquaquam. Sed hoc saltem innuitur, quod norma, secundum quam judicialis instituenda ac proferenda sententia, continetur in sacris literis, quod nempè omnis, qui crediderit, h. e. in verâ fide perseverarit, salvandus sit; contrà verò, qui non crediderit, damnandus, Marc. 16, 16. 2. Quod quando dicitur, cuiuscunque cum hominis cogitationes, sermones & actiones coram Angelis & hominibus revelatum iri, quod & Scriptura Sacra alibi quoque passim testatur, vid. Eccles. 12, 14. Matth. 12, 36. Luc. 8, 17. hoc ipsum non *collectivè* accipendum sit, quasi tam piorum quam impiorum peccata omnibus sint revelanda, sed *distributivè*, h. e. quod piorum bona opera, impiorum verò mala opera, sine testibus facta, in claram tunc proferenda lucem sint, quemadmodum B. D. Rungius in 2. Cor. 5. B. Osiander in cap. 20. Apocal. ac cum primis B. D. Gerhardus L. de Extr. judic. §. 64. prolixius docent. Et satis etiam vel inde patet, quia piorum peccata in Scripturâ S. deleri dicuntur. Quemadmodum igitur in libris rationum, posteaquam nomina expuncta sunt, nihil amplius de iis legitur, quam vel solutum est, vel nihil debet: ita quoque cum per Christum verâ fide apprehensum piorum debita expuncta sint, tantum abest, ut amplius quicquam de iis in librô illô omniscientiæ divinæ extet, nisi hoc fortè, quod debitum omne solutum sit, vel quod nihil amplius debeamus. Jesuita Franciscus Suarez in 1. part. Thomæ tr. 2. I. 1. cap. 20. per libros in extremo iudicio aperiendos intelligit primò librum juris divini, quem Deus scripsit quasi ab omni aeternitate, præmia & pœnas operum taxando, deinde librū actorum, quatenus nempè singularum hominum opera & facta in notitiâ suâ præhabuit. Verum si per librum illum juris divini aliud jus, quam quod in

in sacris literis nobis manifestavit, intelligit, errat. Constat enim, quod omne Dei consilium in sacris literis revelatum nobis sit, Acto. 20, 27. nec alia erit norma, juxta quam Christus judicariam proferet sententiam, quam ejus verbum, ab ipso nempe initio prædicatum, postmodum vero ab Evang. & Apostolis in literas redactum, Johan. 12, 48. Longius vero a scopo textus recedere videtur S. Augustinus, dum lib. 10. de Civ. D. cap. 14. libros apertos exponit de sanctis, cum Christo ad judicium venturis, quos propterea libros appellati censet, quia in illis expressa cogoscatur Dei voluntas & legis divinae observantia. Ast licet ex sacris divinisque literis constet, sanctos & in specie Apostolos Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. non solum cum Christo ad judicium venturos, sed & judices eos futuros, nempe 1. adsidendo, Sapient. 5, 2. Joeli 3, 12. 2. approbando, Apoc. 19, 1. 3. Testificando, Luc. 16, 9. quia tamen in soletis in Scriptura. S. est, homines vocari libros, & præterea sancti in Apocal. tanquam Seniores conspicendi exhibeantur, Apoc. 4, 4. c. 11, 16. 16. inde missa hæc sententiæ, amplector expositionem primò loco allatam, quod nempe per illos libros intelligendi sunt 1. liber divinae omniscientiae, 2. Liber humanæ conscientiae, ac 3. Liber Scripturæ Sacrae. Nec minus denique a scopo & consuetudine loquendi Scripturæ S. abit alter Jesuita, Johan. Maldonatus, quando in cap. 7. Dan. p. 688. per libros in judicio apertos intelligit Angelorum adstantium tum malorum accusantium, tum bonorum defendantium, de quartâ nempe bestiâ, deque ejus undecimô cornu, h. e. Romano Imperio & Anti-Christo disputationes ac rationes. Hæc, inquam, interpretatio haud satis conveniens est, prout jam dum B. D. Meissnerus monuit I. c. §. 20.

## CAPUT V.

### De Libro x̄ap̄tos vel iudicias sive immitatæ gratiae ac misericordiae.

Placet

Placet nomine hoc insignire istam Dei notitiam, quā  
nō solum ipse, qui sūi sīnt, 2. Tim. 2, 19. vel ut paulo uberioris ex-  
ponam, appellatione hāc intellectum volo catalogum, ut  
ita loquar, salvandorum, quos Deus ex gratiā propter me-  
ritum Christi, perseverante fide apprehensum, & ab æternō  
prævisum, ante jaeta mundi fundamenta ad vitam elegit in  
laudem gloriosæ gratiæ suæ. Prout Librum vite, (qui μετο-  
νυμικῶς ita dictus, cum hoc ipso libro, quō de jam mihi ser-  
mo est, prorsus convenit) describit B. D. Meissnerus Argo-  
πολ. Sacræ, Disput. 15. qv. 4. S. 7. Cur χαίρετος ac εὐδοκίας si-  
ve gratiæ, benevolentiæ & misericordiæ librum hunc appellem,  
jam tum suprà indicavi, nempe ex Ephes. 1, 5. 9. quia videli-  
cet Deus ex merâ gratiâ, nullatenus operum nostrorum me-  
ritum, ut quod nullum est, respiciens, ad vitam æternam  
nō se elegit. Facitque huc illud Theophylacti, quando ad  
verba illa Salvatoris Luc. 10, 20. χαίρεται ὅπη τῷ ὀνόματα οὐ-  
μῶν ἐγράφη καὶ τοῖς σεργῶις, quibus utique ad hunc librum  
respectus habetur, addit: ἐκ μέλου, ἀλλ' μηδὲν θεῦ καὶ χαίρε.  
Quemadmodum igitur ratione finis, qui est æterna vita, ad  
quam Deus perseveranter in Christum credituros elegit, li-  
ber hic communiter liber vita nominatur, ita ratione cause  
efficientis sive impulsivæ, quæ Dei gratia vel gratuitus Dei  
favor, liber gratiæ, & quidem immerite dici omnino posse  
videtur. Neque tamen hoc sensu immeritam gratiam, fa-  
vorem illum Dei gratuitum, quod electos ad vitam æternam  
elegit, dico, ac si omne prorsus meritum excludat. Hoc ve-  
rò non, satis enim constat, quod Christi meritum omnino  
electionis decretum ingrediatur, etenim in Christo electi di-  
cimur, Ephes. 1, 4. Nec gratia Dei, & meritum Christi sunt  
opposita, sed subordinata: sed quia nullò nostrò meritò ad-  
ductus Deus ad vitam æternam nō se elegit. Si enim ex gratiâ,  
(Eph. 1, 5. & 6.) non ex operibus, ait Apostolus Rom. 11, 6. Nec  
est, quod quis excipiat, electos nō esse intuitu fidei, quia non  
nisi perseveranter in Christum credituros Deus elegit: jam  
vero fidem esse B. opus, consequens igitur esse, quod Deus propter  
aliquid

aliquid opus nostrum, tanquam meritum, ad vitam æternam nos elegerit. Etenim probè notandum, quòd fides, sicuti in Artic. justificationis, ita & in Artic. æternæ prædestinationis non consideretur ratione suæ virtutis, ut est bonum opus, aut ratione dignitatis alicujus meritoriæ, vel in prædicamento qualitatibus, sed relativè sive quatenus est medium, quòd meritum Christi apprehenditur, & absque quòd nemini illud applicatur. Unde etiam observatione dignum; quòd Scriptura Sacra non dicat, electos nos esse, vel etiam justificari & salvari nos propter multam dilectionem, διὰ τὴν πίστιν, propter fidem, quomodo Deus διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην, quā dilexit nos, convivis facte nos dicitur, Ephes. 2, 4. sed διὰ τῆς πίστεως, per fidem, vid. Rom. 3, 24. 30. Galat. 3, 14. Philip. 2, 9. quòd videlicet innuat, fidem in negotiō electionis, justificationis ac salvationis haudquaquam considerandam ut meritum aliquod esse, sed saltim ut ἐργα, quòd meritum Christi apprehendimus, vel cuius intuitu Deus ad vitam æternam nos elegit. Nempe cùm Christi meritum non nisi per fidem nostrum fiat, docent Theologi, electionem factam esse intuitū meriti Christi, per fidem apprehendendi. Graviter igitur errant Pontificii illi, qui cum Alberto Pighi lib. 8. de Usu lib. arb. cap. 2. adserunt, Deum in electione merita nostra respexit; ac cum Jesuitā illō famoso Martinō Becanō Disput. de Prædest. Cathol. c. 3. th. 5. quod omnes ex prævisis meritis ad vitam æternam prædestinati sint. Quam uti sententiam memoratus Jesuita ex eō probat, quòd omnes ex meritis consequantur vitam æternam (quæ tamen hypothesis falsa est, ) ita sanè nec alii Papicolæ satis sese à crassō illō errore, quòd electio ad gloriam ab operibus gratiæ ut causâ meritoria dependeat, purgare possunt, quotquot meritum de Congruo in justificatione, & meritum de Conditio-  
gnō in salvatione defendunt. Sed non permittit chartæ angustia, pluribus de nobili hâc controversiâ jam nunc agerere. Remitto igitur benevolum lectorem ad B. D. Gerhardum lib. 2. Spec. Confessi. Cathol. part. 3. art. 22, cap. 2.

C

thes. 2.



thes. 2. Ceterum liber hic, catalogum salvandorum comprehendens, in sacris liberis modò סְפַר חַיִּים liber viventium, uti Psalm. 69, 29. modò Βίβλοι vel βίβλος τῆς ζωῆς liber vite, ceu Philipp. 4, 3. Apoc. 3, cap. 17, 8. cap. 20, 12. 15. cap. 22, 19. modò βίβλος τῆς ζωῆς Αργείος, uti Apocal. 13, 8. cap. 21, ult. modò absolute & quasi κατ' ἐξοχήν סְפַר liber, ut Exod. 32, 32. Dan. 12, 1. appellatur. Apud Ezech. cap. 13, 9. dicitur בְּתֵבָה בְּתֵבָה יִשְׂרָאֵל, i.e. scriptura domus Israel, (intellige non τῆς σαρκὸς ἢ κατὰ τάγμα, sed τῆς επαγγελτας, ἢ κατὰ πνεῦμα, non secundum carnem, sed secundum spiritū sive promissionem, conf. Rō. 9, 8. 1. Cor. 10, 8. 1. Cor. 10, 18. Gal. 4, 33. vel. ut Apostolus Rom. 2, 28. 29. loquitur, Iudeos, οἱ ἐν τῷ κρυπτῷ, non οἱ ἐν τῷ φανερῷ, add. Rom. 9, 6. seqq.) Et qui in hoc libro scripti, eorum etiam nomina לְחִיִּים in vita, in Ierusalem, (intellige cœlesti, civitate illa sancta, Ierusalem novæ, Apoc. 21, 2.) Esai. 4, 3. εἰς οὐρανούς in cœlis, Luc. 10, 20. confer Ebr. 12, 22. 23, scripta dicuntur. Appellationis vero ratio manifesta, ita, ut vix opus sit, prolixius in eam inquirere. Etenim viventium liber, catalogus electorum dicitur præterea, quod foli illi vera vitâ donentur, adeoque foli post hanc mortalem vitam vivere censeantur, quemadmodum de Patriarchis piè defunctis Salvator noster Luc. 20, 38. quod Deo vivant, siquidem Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium, Matth. 22, 32. unde etiam idem Joh. 11, 25. de eo, qui in ipsum (perseverante fide) crediturus est, dicit, quod eriam si mortuus fuerit, vivat, & vers. seqq. clarè ait: οὐαὶ ζῶν ἢ ξενίων οἷς ἐμὲ, & μὴ ξεδών οἷς τὸν ζῶντα. Ratio vero hujus promissi est, quia qui in Christum credunt, vincunt mundum, vincunt peccatum, vincunt Diabolum, οὐ δὲ γίγνεται, & μὴ αἰδούσην ἐκ τῷ γαράτῃ τῷ δεύτερῳ, Apoc. 2, 11. Quod vero primam hinc temporalem piorum mortem concernit, illa in Spiritus S. Cancellariâ non mors censetur, sed somnus dulcissimus ac janua ad vitam æternam certissima. Vite vero liber catalogus electorum dicitur, quia prædestinati electi sunt non solum in hoc seculô ad vitam gratie, verum etiam



Iam in futurō ad vitam glorie. Nec sine causā etiam adjici-  
tur aliquando nomen Agni, ut nempē indicetur vita illius,  
ad quam æternitatis Candidati electi à Deō sunt, causa me-  
ritoria. Christus nempē, quatenus ut agnus Dei portat pecca-  
ta mundi, 1. Johan. 1, 29. mactatus ab origine mundi, Apoc. 13.  
v.8. cuius pretiosō sanguine velut agni immaculati & inconta-  
minati à vanā conversatione redemti sumus, 1. Petr. 1, 18. 19. Ca-  
ye quoque putas, quando prædestinatorum nomina *in cœlis*  
*scripta* audis, Luc. 10, hoc ita intelligendum esse, ac si in vi-  
sibili quôdam cœlō atramentō vel cretā nomina electorum  
annotata sint. Id verò minimè. Etenim quemadmodum  
Deus dicit, quod nomina nostra *in manibus suis consignavit* vel  
*exararit*, Esai. 49, 16. ita eādem metaphorā *nomina nostra in*  
*cœlis scripta* dicuntur. Unde fortè non absurdè cogitatur,  
quod vocabulum *cœli*, quemadmodum alias non raro more O-  
rientalibus recepto, cuius etiam in N. Test. vestigia extant,  
pro ipsō Deō adhibetur, id quod pluribus confirmat Excell.  
Dominus Præses Analeqt. ad Ev. Matth. p. 935. ita & hīc in  
eā significatione accipiatur. Ut proinde *in cœlis scriptum*  
*esse*, sit idem, ac in iugi Dei memoriam ac benevolentiam versari.  
Quemadmodum igitur Veteres amicorum effigies &  
nomina annulis, quos in digitis gerebant, includi curabant,  
indicantes hōc ipsō, quod nunquam eorum dememiniſe  
velint, quō de more consuli possunt Johan. Kirchmannus  
lib. sing. de Annul. Gaspar. Sanctius Comm. in Cant. p. 331.  
ita clementissimus Deus nos, quos Christus *amicos suos vo-*  
*care* non dignatur, Johan. 15, 14. certiores reddere cu-  
piens, quod in nullis calamitatibus, periculis &c. nostri obli-  
visci velit, nomina nostra in manū suā, imò in corde suō scri-  
ptra esse dicit. Neque tamen repugno, si quis metaphoram  
petitam velit à Politicā consuetudine hujus mundi, quā usū  
receptum est, ut eorum qui vel jus civitatis emunt, vel  
gratis civitate donantur, certo alicui libro inscribantur.  
Eoque alludi hīc putat B. D. Chemn. H. E. cap. 104. p.  
1112. Hugo Grotius in Annot. ad h. l. Lucæ pag. 714. cen-

set, quod quemadmodum Latini id, quod durabile non est,  
in vento & aqua scribi dicunt, ita Ebraei pari sensu dicant, scri-  
**בָּאָרֶץ** <sup>בְּאָרֶץ יְהוָה</sup> in terra, i. e. in pulvere, Jerem. 17, 13. Et  
hic, addit, contrarium est, scribi in celo, i. e. vita eterna ad-  
scribi atque destinari. Porrò notandum probè est, quod quem-  
admodum liber militie (quod exemplò non solum Scholasticis  
ac Jesuitæ, vide Aquinas part. 1. Summae Theol. 9. 14. Art. 1.  
ad 1. Bened. Pererius lib. 8. Comm. in Dan. p. 456. Marti-  
nus Becanus in part. 1. Thomæ tr. 1. cap. 14. 9. 8. pag. 167.  
Sed & nostrates, vid. B. D. Gerhardus Dispp. Isag. L. de  
Prædest. p. 690. hic utuntur) tribus sumitur modis, 1. pro  
eō, in quod scribuntur electi ad militiam, 2. pro eō, in quod  
traditur ars militaris, 3. in quod continentur militares ge-  
stæ: ita quoque liber vita tribus accipi modis possit; Primò in  
quod scribuntur electi ad vitam æternam; Secundò in quod  
traditur modus perveniendi ad vitam æternam; Tertiò in  
quo scribuntur dicta & facta eorum, qui tendunt ad vitam  
æternam. Hoc tertio modo, certò respectu etiam liber  
nauiceras sive judiciorum sententiæ, liber vita appellari pos-  
set, siquidem in eo non solum impiorum sive reproborum,  
sed & electorum omnia cogitata, dicta & facta continentur,  
inque extremo judicio in lucem proferentur. quâ de causâ  
& liber hic aperte dicuntur, Apoc. 20, 12. Et de hoc librō  
actum suprà cap. 4. Notandum verò, quod nullibi liber  
hic in Scripturâ Sacraâ vita liber dicitur, quin potius ab eo  
distinguatur, ceu ex Apocal. 20, 12. patet. Secundò modo  
Scriptura S. liber vita dici potest, quippe cum in ea fatis cla-  
rè doceamus, quâ ratione pervenire ad vitam æternam de-  
beamus, Johan. 5, 39. nempè per fidem in Christum, Joh.  
3, 16. cap. 17, 3. Unde & Salvator approbat Judæorum sen-  
tentiam, statuentium, se in Scripturâ habere τὴν ζωὴν αἰώνιον.  
Licet proinde Scriptura S. contineat verba Dei, ac quem  
Pater misit, Filii ejus, quæ sunt πρόματα ζωῆς αἰώνis, Joh. 6, 68.  
imò πρέμα τῇ ζωῇ, ibid. v. 63. Conf. Actoř. 5, 20. Philip. 2, 16.  
Baruch. 4, 1, λόγος σωτηρίας, Actoř. 13, 26. add. Jacob. 1, 21.  
adeo.



ad eoque liber vita omnino dici possit: sciendum tamen,  
quod nullibi in sacris literis hoc epithetum ea insigniatur.  
Quod enim attinet locum Ecclesiastici 24, 32, ubi in Vulga-  
ta versione legitur: *Hec omnia sunt liber vita & testamentum*  
*e Altissimi*, sciendum, quod in Graeco sit Βίβλος διαδόντης Δεὸν  
ψιστή, i. e. liber fœderis cum Deo altissimō initi, prout B. Lu-  
therus non male reddidit. Ex quo verò Deus salutarem sui  
notitiam non solum in verbō revelatō sive libro Scripturæ no-  
bis manifestavit, sed etiā rudera quedam imaginis divinæ no-  
bis reliquit, ac τὸ τέρας ἐγγὺον εὐταῖς καρδιαῖς etiam gentilium  
scripsit, Rom. 2, 15. ita ut τὸ γνωστὸν τὸ θεῖον πάρεστι in eis sit. Deus  
enim illis patefecit: siquidem que sunt invisibilia illius ex crea-  
tione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsaq; e-  
terna ejus potentia ac divinitas, in hoc, ut sint inexcusabiles, Rom.  
1, 19. 20. Inde libro huic Scripturæ subordinatur, minimè  
verò ei oppositur liber natura, de quo eleganter χειρορρήματι  
ille Episcopus Constantinopolitanus Serm. 9. ad Populum  
Antiochenum: *In hunc librum & idiota & sapiens intueri po-  
terunt, pauper & dives, & quocunq; quis venerit nomine, in cœlum  
suspiciens, sufficientem doctrinam accipit ex aspectu.* Et Basilius  
M. eundem hunc librum non immerito οὐδευτέλεον τῆς φι-  
γματικῆς ψυχῆς λογικῶν διδασκαλεῖον vocat. Notandum  
verò probè est, quod licet multa præclara de Deo ex hoc na-  
turæ librō gentilium nonnulli Philosophi tradiderint, haud  
quaquam tamen salutaris Dei notitia, adeoque vita æterna  
haberi inde possit, sed tantum ex librō Scripturæ. quorū sum  
faciunt dicta, Johan. 5, 23. cap. 1, 18. cap. 14, 6. cap. 17, 3.  
Acto. 4, 12. 1. Johan. 5, 11. 12. Unde etiam liquet, non le-  
viter eos errasse ex Pontificiis & Calvinianis, qui gentilibus  
ex naturali Dei notitiâ salutem tribuerunt, quorum erro-  
rem refutant B. D. Gerhard. Dispp. Isag. p. 104. 105. B. D.  
Bald. Cas. Conscient. p. 72 seqq. B. D. Waltherus Quadr.  
Miscell. Theol. p. 250. ut ita sola Scriptura Sacra, quod at-  
tinget ad modum perveniendi ad salutarem Dei notitiam, li-  
ber vita appellari mereatur. Cæterū, quamvis ut, jam

dixi, & liber Scripturæ & liber iudicij, certò modò liber vi-  
tae vocari possint, quia tamen in sacris literis eò nomine nec  
hic nec ille exprimitur, comuni Theologorum sententiâ so-  
lus catalogus electorū ita dicitur, quatenus nempe hos Deus  
ab æternō ad vitam æternam in Christō elegit, quos & Sal-  
vator noster Opt. Max. cùm in mundo hōc fuerint incogni-  
ti, in extremō iudiciō omnibus, tanquam ex librō quodam  
electorum nomina prælegendō, manifestos faciet, ac pu-  
blicè vitæ æternæ Candidatos, Doctores imò in cœlesti  
Academiâ, ut italoquar, creabit, renunciabit, proclamabit.  
Supereft ut inquiram, num Christus quoque liber vita ap-  
pellari possit. Et sanè quòd jure meritō epithetō hōc insi-  
gniatur, manifestum est. Est enim vita tūm ἡσιωδῶς, (& qui-  
dem ratione divinæ naturæ vita ita ipsi tanquam æterno Dei  
Filio Joh. 5, 26. essentialis est, ut sit ipsa vita, adeoq; ἀτακτός,  
non tantūm ἐξοχικῶς, sed planè ἐξαιρέτως, unde & solus im-  
mortalitatem habere dicitur, 1. Tim. 6. v. 16.) tūm ἐνεργητικῶς,  
quia ab ipso vitam naturæ præsentis, item gratiæ, & futuræ  
quoque gloriæ accipimus. Et vitam quidem gloriæ, quam  
promisit ipse dicens Johan. 11, 25. ἐγώ εἰμι ἡ αἰδίασις καὶ ἡ  
ζωή, & addit: ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καὶ οὐ ποθάρη, ζήσεται,  
add. Johan. 5, 24. Gratia vero vitam ab eodem habemus,  
ceu ex Iohan. 5, 26. patet. Vitam denique etiam naturæ ab  
ipso habemus, quia εὐαγγελικῶς, Acto. 17, 28. Nec incon-  
venienter quoque Christus cum libro confertur. Estenim  
velut liber scriptus in pelle virgineâ, in camerâ virginis glo-  
riosæ digitis Spiritus S. dictatus in Patris dispositione, scri-  
ptus in matris conceptione, expositus in nativitatis mani-  
festatione, correctus in passione, rausus in flagellatione, pun-  
ctatus in vulnerū inflictione, super pulpito politus in cruci-  
fixione, illuminatus in sanguinis effusione, colligat⁹ inresur-  
rectione, disputatus in adscensione, Angelis quærentibus  
unde iste, qui venit de Edom? apertus tandem & explicatus in  
iudicij promulgatione. Quod si porrò liber hic in pulpite  
crucis adspiciatur, legit ibi superbis humilitatem in ca-  
pitib⁹

pitis inclinatione: avarus liberalitatem in manum extensione: invidus charitatem in lateris apertione: dives paupertatem spiritualem in totius corporis denudatione: gulofus abstinentiam in amarâ fellis acetique potatione: delitiosus pœnitentia asperitatem in corona spineæ impositione: iracundus denique benignitatem in latronis crucifixi receptione. ceu ex Patrum meditationibus ~~etiam~~  
D. Christoph. Pelargus Orat. de librô vitæ litt. C. fac.  
1. allegante B. D. Meisnerò ~~Avgvst.~~ Dec. 2. Disp. 15. Quæst.  
4. §. 1. Scripti sumus in hunc librum non atramento Scrip-  
toris, sed sanguine Redemptoris. Liber hîc vitæ per Ev-  
angelii prædicationem aperitur & evolvitur, siquidem Ev.  
ang. docet, quod in Christo electio Dei Patris æterna quæ-  
renda sit &c. ut habet F. Concord. in Epit. Art. cap. XI. §.  
12. Hæc utut fortè non inconcinne de Christo dicantur,  
quemadmodum etiam vulgo Salvator noster liber vite ap-  
pellatur, quia nempè in eo facta est electio ad vitam æter-  
nam, ac fideles ipsi tanquam membra unius corporis mysti-  
ci inseruntur: monent tamen Theologi, quod per librum  
vitæ in Artic. de Prædestinatione non præcisè & formaliter  
intelligatur Christus ipse, sed potius catalogus salvando-  
rum, h.e. eorum, quos Deus ex merâ gratiâ propter Chri-  
stum fide perseverante apprehensum ante iacta mundi fun-  
damenta ad vitam æternam elegit. Vel Liber vitæ hîc est  
singularis salvandorum cognitio & juxta ~~et~~ eorum  
dem electio, ab æterno facta, 2. Timoth. 2, 9. monente B. D.  
Gerhardo Dispp. Isag. XIIIX. cap. 1. §. 14. Conf. etiam B.  
D. Meisn. ~~Avgvst.~~ Sacræ d.l. §. 3. seqq. Quod verò Chri-  
stus ipse non præcisè per hunc librum vitæ dd. II. intelligi  
possit, inde manifestum esse puto, quia diserte liber vita di-  
stinguitur à Christo, ut qui librum vitæ aliquando aperiet,  
manifestandò scil. omnibus, quinam sint, quos Deus in ipso  
ad vitam æternam elegit. Cœterùm non levís controver-  
sia est, an liber vita duplex sit, primò eorum, qui ad tempus  
saltem credunt sive ~~et~~ tñalipn; deinde eorum, qui finaliter

sive



sive perseveranter credunt ac salvantur. Quorum hi in Scripturâ S. propriè dicuntur electi, illi verò vocati, vid. Matth. 22, 14. vel ἀρχοντες sive καὶ τιμωντες credentes ad tempus, Luc. 8, 13. Non desunt tamen, qui hujusmodi duplē vitæ librum admittunt, iidemque non inter Pontificios saltem, verum etiam inter Lutheranos, ceu mox indicabitur. Interea ultrò fatentur, quod si per inscriptos in librum vitæ intelligere quis velit electos propriè sic dictos, & quod impossibile sic, illos ex librō vitæ deleri, quam hos finaliter gratia Dei excidere. Sed obstat videtur locus Exod. 32, 32. ubi Moses, quem ad vitam æternam electum fuisse nemo dubitat, in hæc erumpit verba: Remitte illis (Israelitis) peccata sua, quod si non, כחני נא מכור אשר כתבת dele me nunc de librō tuō, quem scripsisti. Etenim cum nullus electus ad vitam æternam reprobis fieri possit, ceu ex Matth. 24, 24. Rom. 3, 30. cap. 11, 29. 2. Timoth. 2, 19. Apoc. 3, 5. colligitur, idque etiam innuitur Dan. 12, 1. & verò electio per transcriptum esse in librō Dei sive vita significetur, vid. Apoc. 2, 12. cap. 21, 27. Dan. 12, 1, non statim apparet, quomodo Moses petat, ut ex illo librō deleatur? Varias hinc præsentis loci expositiones deprehendere licet. 1. Hugo Grotius Anaot. ad Luc. c. 10, 20. p. 714. amplectitur Gerundensis, (Doctoris Iudæi, quem doctissimum vocat) interpretationem, statuitque, quod Moses ibi loquatur pro temporū illorum ratione populariter, de censu nempè eorum, qui vitam in his terris felicem agunt; neq; aliter interpretandum monet, quod in Ps. 69, 28. legitur. Atque sic omnem scrupulum sublatum sibi persuadet. Eodem modō cum hunc, cum alterum locum ex Psal. 69, 29. exponit Simon Episcopius, Arminianorum promachus, Inst. Theol. l. 2. cap. 9. p. 42. Præsupponunt autem Grotius & Episcopius cum Photinianis, quod fideles in V. Testam, non habuerint claras, sed saltim umbratiles vite eternæ promissiones, ac quod Christus demum omnia, que tum in figuris fuerint dicta, ad vitam æternam retulerit, quam aperte mundo revelatus venerat. Ast licet non negimus, quod promissionibus divinis

V. Test.



V. Test. de æternâ salute piis conferendâ clarius in N. Test. lux accesserit: negatur tamen, quod in V. Testam. non habuerint claram vitæ æternæ promissionem. Cùm igitur ista Grotii & Episcopii expositio falsâ nitatur hypothesi, de aliâ conciliatione despiciendum. 2. Paulus Burgensis, Ystella, Cajetanus, Oleaster ad cap. 32. Exodi, item Jesuitæ, Ioh. Lorinus in Psal. 105. v. 23. Gabriel Vasquez part. I. qv. 24. Art. ult. Martinus Becanus, aliique, per librum, è quo Moses deleri voluerit, significari putant catalogum herorum & illustrium virorum, sive Patrum, ut ita loquar, conscriptorum in Republ. Israeliticâ, qui catalogus dictus olim fuerit liber Justorum, cuius mentio fiat Iosuæ 10, 13. 3. B. D. Rungius Comm. ad h.l. scribit, Rabinos absurdâ quâdam opinione intelligere de Pentateuchô, ac sentire, Mosen rogasse, ne nomen suum historiæ populi Israelitici tam misere deleti insereretur. Addit, alios Rabinos intelligere de principatu, rogasse nimirum Mosen, ut ab officio Magistri atûs removeatur potius, quam ut interitus populi sui sit spectator. Subjungit quoque expositionem, cuius primô loco facta mentione est, eorum, qui accipiunt de librô vita præsentis sive naturalis, ut ita Moses morte suâ corporali interitum populi redimere voluerit. Verum licet hæc expositio S. quoque Hieronymo qv. 9. ad Algasiam, Origeni item Adamantio in caput cap. 9. Epist. ad Rom. nec non Gregorio Magno I, 10. Moral. cap. 7. Euthymio in Psalm. 68. aliisque nonnullis, cum primis ex Pontificiis Gasparo Sanctio in cap. 4. Esai. II. arrideat, sicuti & ex nostratis ea ipsa B. D. Meissner in Ἀνθρωπολ. placet: non minus tamen illam ac præcedentes laudatus B. D. Rungius deserit, aliamque amplectitur, ceu propediem ostendetur. 4. Calviniani nonnulli, uti ex Gryazo Disput. Theol. fol. 342. videre est, statuunt, deleri è librô vitae, Exod. 32, 32. significare abdicationem eorum hominum, qui filii regni, suo & alieno errore visi sunt, cùm reverâ alieni essent à Regnô Dei, si internam societatem & communio- nem sanctorum spectes. At hæc quoque expositio falsâ nitit.

D

tur



tur hypothesi, quā Calvinianū communiter statuunt, non  
nisi electos verè renasci ac veram fidem habere, cùm tamen  
alia sit fides vera, alia perseverans. Et licet hęc non nisi e-  
lectis conveniat, illam tamen habere & ~~negonat~~ solent, ceu  
Salvator noster docet, Matt. 13, 20. 21. 5. Communis sen-  
tentia est, quod duplex sit scriptio in librō vitę, alia secundūm  
fidem presentem; alia secundūm perseverantiam usq; ad finem.  
Hanc dicunt esse scriptionem in librum vitę simpliciter & ab-  
solutę, atque hęc modō solos electos inscriptos in librum  
vitę esse, & qui ita inscriptus, eum non posse deleri ē librō  
vitę; illam verò scriptionem posse dici electionem secundūm  
quid saltē & pro præsenti. Hęc modō, addunt, in librū vitę in-  
scriptos poste dici, qui pro præsenti credunt, licet nō sint ad  
vitam æternam electi, (voce electionis stricte acceptā) & hos  
posse ē librō vitę deleri, imò se ipsos ex eō expungere per  
apostasiam à fide, & per alia peccata, si nempē in iis perse-  
verarint. Quod verò talis scriptiō in librū vitę sive talis elec-  
tio detur, probant ex Luc. 10, 20. siquidem existimandum  
haud sit, Salvatorem omnibus discipulis æternum Dei de  
ipsorum salute deeretum revelasse. Nam verò in genere ibi  
ad discipulos suos Salvator dicit, gaudere eos debere, qnōd  
nomina ipsorum scripta sint in cælis in sive in librō vitę. Ast licet  
hanc ipsam sententiam non Pontificii solum, uti Petrus Lombardus lib. 3. Dist. 31. Thomas de Aquinō p. 1. qv. 24. Art. 3.  
Becanus & Suarez in d.l. Iacobus Tirinus, Ludovicus ab  
Alcasar Hispalensis, Cornelius à Lapide, Libertus Fromon-  
dus Haccurianus in Apoc. cap. 3. v. 5. Benedictus Iustinianus  
Genuensis Comm. in Epist. Paul. t. 2. p. 301. Balthas.  
Corderius Annotat. in Catenam pag. 304. (qui propterea  
etiam librū vitę distinguit in Inchoatum, & Completum,) &  
alii, verū etiam ex nostratis B. D. Chemnitius Harm.  
Evang. cap. 104. p. 1113. B. D. Calixtus Concord. Evang. l. 5.  
cap. 21. pag. 270. aliiq; nonnulli approbent: minùs tamen  
illa B. nostro Gerhardo Disput. Isagog. L. de Prædest. p. 692.  
arridet, eò quod Scriptura S. non nisi unam scriptionem in li-  
brum

brum vita norit, ac omnes illos, qui in libro vita scripti sunt, salvos asserat, vid. Dan. 12. 1. Proinde observat i. Quod Moses omnino de deletione ex libro electorum, sive ad vitam aeternam praedestinationis loquatur, (quomodo etiam Augustinus p. 147. in Evang. Chrysostomus Homil. in Epist. ad Rom. Bernhardus Serm. 12. in Cantic. Rupertus in Exod. Dionysius Catholicanus &c. accipiunt. Objicit quidem sententia huic Episcopius l. c. quod hujusmodi votum non modo non sit laudabile Deo gratum, sed nec decorum, nec licitum, adeoque indignum, quod tanto viro, tanto Dei divinaque visionis amore flagranti adscribatur, addit immo, esse votum de eis, quod moraliter impossibile est, nec tale votum in mentem sanam cadere posse; Verum facilis est explicatio: Hac enim omnia conceduntur de votu absoluto, negantur vero de votu hypotheticu, quale Moses ac Pauli votum fuit, sicut etiam ipse B. D. Gerhardus addit, quod petitio Mosis sit hypothetica, ac subintelligendum sit, si fieri possit, Rom. 9. 3. cum quo Paulino votu etiam illud Mosis confert S. Hieronymus, tum in Epist. ad Galat. cap. 1. tum in Epist. ad Algas. 9. & ad Hebreos qv. 10. Quae etiam sententia B. D. Rungio in Exod. pag. 1095. placet, itemque Adamo Tannero, Iesuita famoso t. 1. Theol. Schol. Disput. 3. qv. 2. Dub. 4. num. 5. qui pro eadem & Augustinum in Exod. p. 147. allegat. Quod locum Paulinum attinet, existimant quidem Toletus & Cajetanus in Epist. ad Roman. cap. 9. Lorinus in Psal. 105. 23. Adamus Tannerus Theol. Scholast. t. 1. p. 734. ac alii quidam, Apostolum loqui de tempore ante conversionem suam, quando adhuc erat emulator legis, ac tantopere diligebat populum Israeliticum, cum cuperet anathema tunc esse, & omnino a Christo separari. Verum licet pro eadem hanc expositione Ambrosius & Hieronymus in h. l. nec non Anselmus ac Glossa allegari soleant, quod ministramen ea admitti possit, ostendit Magnus ac Reverendissimus Dn. D. Wellerus, Studiorum meorum Patronus Opt. Max. Comm. in Epist. ad Rom. p. 533. monetque optimum esse dicere, quod sit vo-

zum non *absolutum*, sed *conditionatum*. Improbant vero sententiam illam, quod np. votum hoc Paulinum ad dtempus referendum sit, quo Apostolus adversus Christianos serviebat, ipsi Pontificii alii, ceu videre est ex Benedicto Iustinianô Explan. in Epist. Pauli t.1 p.251. Corn. à Lapide, Guil. Estio & aliis in h. l. Et ita quoque, nempe de praesenti Apostoli statu, adeoque hypotheticè, jam pridem intellexerunt illud Chrysostomus tūm in Epist. ad Rom. tūm lib. 1. de compunct. cord. nec non Hom. 1. & 2. de laudibus Pauli, Theodoreetus, Oecumenius, Origenes, Theophylactus in h. l. Gregor. Nazianzenus Orat. 44. Rich. Victor. de grad. viol. carit. in fine. Thomas de Aquino tūm h. l. tūm 2. 2. q. 27. artic. 8. ad 1. & qv. 182. art. 2. Atque ita accipiunt etiam ex nostratis plerique ferè omnes. Vid. B. D. Winckelmanus, B. D. Balduinus &c. in cap. 9. Epist. ad Rom. & satis etiam ex ipso textu patet, ceu pluribus ostendit Excellētissimus & Maximè Reverendus Dominus Praeses in Analect. ad d. l. Observat porrò 2. B. D. Gerhardus d. l. quod *deletio* è librō vitæ sit vel *privativa*, vel *negativa*. Quam distinctionem ita explicat & applicat: *Privativa*, scribit, presupponit scriptiōnem in librum vitæ. *Negativa* non presupponit talem scriptiōnem, sed negat tantum inscriptionem, atque hæc posterior in locis Exod. 32.3.; Psal. 69.19. Apoc. 3.5. cap. 22.19. intelligitur. Secundum justitiam judicis peccando deleri dicuntur, qui secundum præscientiam nunquam fuerint inscripti. Gemella habet B. D. Gesnerus in cap. 12. Danielis §. 143. seqq. Atque hoc etiam respicere videntur B. D. Rungius in Exod. p. 1102. it. B. D. Quistorpius Annotat. in Exod. p. 117. B. D. Lobechius in Synopsi doctr. de æternâ Dei Prædest. §. 238. B. D. Hoë Comm. in Apoc. c. 3. p. 332. 333. Quemadmodū & egregie hoc jam dum docuit S. Augustinus t. 8. fol. 738. & 739. Sed objiciat aliquis: *Si nunquam fuerunt libro vitæ inscripti, qui ex illo deleridicuntur, quomodo Scriptura S. expreſſe afferit, eos delendos esse?* Responder Joh. Reinoldus Theologus Anglicanus t.2.

Cens.



Cens. libb. Apocryph. Prælect. 175. observangum hic esse.  
quod in Scripturis quædam pronuncientur ad rei veritatem,  
quædam autem ad opinionem hominum; Cùm igitur nemo, qui  
reverè in librum vitæ à Deo inscriptus fuit, deleri ex eo pos-  
sit, siquidem electus non potest fieri reprobus, proinde quo-  
niā errore hominum aliquando iñ videntur esse in li-  
brō vitæ scripti, qui prædestinati non sunt, idque peccatis  
suis postea testantur, ob eam accusam videri à Deo dictum,  
eos, qui in ipsum ita peccaverint, ut se declararent non esse  
in numerō electorum, deletum iri è librō vitæ. Quod verò  
tò deleri de librō viventium, idem sit, ac nunquam reverè scri-  
ptum esse in librō viventium, putat idem satis constare ex  
Psal. 69, 29. ubi dicit Propheta: *deleantur de librō viventium,*  
& *εἰνῆστε* causâ subjungitur, & cum justis ne conscribantur,  
addit: priore parte hoc dicitur, eos è librō vitæ delendos, ad  
opinionem eorum, qui putant, se in librō vitæ scriptos:  
in posteriore verò adjungitur ad rei veritatem, *cum justis*  
*non conscribantur.* Posteriora igitur, concludit, verba decla-  
rant, injustos non scribi in librō vitæ, itaque non propriè  
deleri, sed hoc declarari, eos in eo librō nunquam fuisse scri-  
ptos, si rei veritatem speiemus; Si autem eorum opinione,  
ex librō vitæ deletos, in quō se scriptos esse, falso sibi per-  
suadebant &c. In eandem rem plura ac his gemella tradit  
B. D. Meisnerus *Ανθρωπ.* S. Decad. 2. Disp. 15. Adstipulan-  
tur quoque B. D. Quistorp. Annot. in Exod. cap. 32. v. 33. ac  
Ps. 69. v. 29. item B. D. Lobeckius in *Synopsi de æternâ Dei*  
Prædest. §. 235. Licet verò distinctionem inter *detentionem*  
*negativam*, & *privativam* Samuel Huberus, ille errore de uni-  
versali electione satis famosus Bernas, magnò molimine in  
Theſibus de Univers. Christi meritō p. 220. seqq. evertere fa-  
tagat, quod nempè obtineat, quod cùm nonnulli è librō vitæ  
deleri dicantur, & verò scriptum esse in librum vitæ idem sit,  
ac electum esse, electio universalis sit, adeoque non eos so-  
lūm concernat, qui in fide perseverant ac salvantur, verūm  
etiam illos, qui ad tempus saltem credunt, & salute exci-  
dunt.



Dunt. operam tamen perdit, uti in disputationis actu B. cum  
Deo ostendetur. Quare etiam hic solet, an, sicuti datur li-  
beritatem, in quo nemp̄ electi scripti dicuntur, ita quoq; detur li-  
ber mortis, cui reprobi inscripti Sanè Basilus Magnus in c. 4.  
Esaix ac Gregorius Nazianzenus Orat. 9. item Theophyla-  
ctus ac quidam veterum, quos ex Pontificiis seqvuntur Corn.  
à Lapide in Ep. ad Phil. c. 4. 3. Beccanus in part. 1. Thomæ tr.  
1. c. 14. qv 8. p. 168. ac alii nonnulli, duos statuunt libros, u-  
num viventium sive *Prædestinorum*, alterum *damnatorum*.  
Eoque referunt locum Jerem. 17. 13. Verum licet extra du-  
bitationis positum aleam sit, non reproborum minùs, quam  
electorum numerum apud Deum esse certum, reprobosq;  
et que ac electos ab aeternō Deo fuisse cognitos, sciendum  
tamen est, quod Scriptura reprobationem non vocet scrip-  
tionem in librum mortis, sicuti electionem vocat *scriptionem*  
in librum vita. Nec, sicuti Scriptura S. de piis & electis dicit,  
quod Deus eos cognoscat, Ps. 1. v. ult. 2. Tim. 2. 19. ita quoq;  
de impiis dicit, qui eos cognoscat, sed potius quod nunquam  
eos cognoverit, Matth. 7. 23. Unde si de re ipsâ queritur,  
liber mortis negari non potest; si vero de Scriptu-  
ra S. appellatione, negatur, quod hujusmodi libri in Sacris  
literis mentio fiat. Quod cum ita sit, communis non solùm  
nostratum, vid. B. D. Meisner. *Avthorit.* S. Dec. 2. Disp. 15. q.  
ult. B. D. Gerhardus Dispp. Ilag. p. 693. sed & Pontificio-  
rum plurimorum sententia est, tutissimum esse, ab hac phrasí  
abstinere. Conf. Thomas de Aquinô part. 1. q. 24. art. 1. Be-  
ned. Pererius in Daniel. l. 8. p. 456. Blas. Viegas in c. 10. Apoc.  
p. 797. Unde etiam Bened. Justinianus in Explan. c. 4. Ep. ad  
Philip. scribit, libros illos, quorum ap. Dan. c. 7, 10. ac Johan-  
nem in Apoc. c. 21. v. 27 mentio fit, quod ex illis impiis sint da-  
mnandi, quodammodo mortis libros appellari posse. Plura de  
nobilissimâ hac materiâ adderem, sed propositi ratio sua-  
det, pagellis his finem imponere. Deo igitur Ter Opt. Ma-  
ximo sit laus honor & gloria in sempiterna  
secula!



153 044

ULB Halle  
003 484 998

3



Sch

AB 153044

VD 17





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558478-p0036-4

DFG

# Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

I.  
S. 7.  
THEOLOGICA  
S DEI,  
AM  
Divinæ  
I SALANA,  
ESIDIO  
RI  
*lissimi atq; Excellentissimi,*  
TI GERHARDI,  
fessoris Publ. Celeberrimi,  
ultatis Theologicæ h. t.  
atissimi,  
roris & Fautoris sui omni  
oris cultū ætatem  
andī,  
*Examini submittit*  
AN PRÆTORIUS,  
lum. Electoral.  
R.  
THEOLOGICO  
Maji.  
NÆ,  
ob. Bauhofferi,  
1664.

